DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

IMPOSTURA CORTICIS PERUVIANI,

QUAM

DIVINO FAVENTE NUMINE

IN VIADRINA REGIA

GRATIOSO FACULTATIS MEDICAE

CONSENSU

Sub Praesidio

DN. ANDREAE OTTOMARI GOELICKE,

MED. DOCT. EJUSDEMq; PROFESSORIS PUBLICI

h. t. FACULTATIS SUAE DECANI

NEC NON

Phyſici Provincialis Regii

PROMOTORIS AC PRAECEPTORIS SUI AETATEM

DEVENERANDI

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, JURAQUE

ET PRIVILEGIA DOCTORALIA, MORE MAJORUM

LEGITIME ASSUMENDI

Die XVII. Octobris MDCCXXVII.

IN AUDITORIO MAJORI

Horis ante & pomeridianis

Publico Eruditorum Examini ſubjicit

JOH. CHRISTOPHORUS MÖLLER,

Fiſchb. Hirſchbergenſis, Sileſius.

Francofurti cis Viadrum, Typis TOBIÆ Schwartz.

RPJCB

Prooemium.

Inter omnes artes atque ſcientias, quas ingenii humani ſagacitas vaſtiſſimo ſuo ambitu complectitur, nulla eſt, quae majori contemtui, irriſioni & ſarcasmo aliorum expoſita eſt, quam Medicina. Dignitatem quidem, praeſtantiam & utilitatem ejusdem agnoſcunt omnes; Interea tamen ne abjectiſſima quidem plebs ſatis temperare ſibi poteſt, quo minus, data occaſione, & artem ipſam, &, qui eam profitentur, ludibrio publico exponat. Neque tamen deficiunt rationes, quae irriſores iſtos commoviſſe videntur, ut de arte medica abjectius, quam par erat, ſentirent. Et primum quidem extra omne dubium poſitum eſt, quod plerique de *vera artis Medicae poteſtate* plane alienum atq;

ſiniſtrum ſibi conceptum forment, dum nullum ferme incommodum, nulla calamitas in aerumnoſa hac vita occurrere poteſt, ad quam leniendam non ſolatium quoddam ab hac arte ſibi praeſtolentur: Quo interea ſcopo ſi excidiſſe ſe videant, artem ipſam criminantur, explodunt aliisque exſibilandam propinant. Sunt praeterea vitia quaedam, quae, quo minus ab exercitio artis penitus ſeparari poſſunt, eo tamen certius ejus contemtum promoverunt. Sermo autem mihi eſt de *Charletaneria* & *Machiavelliſmo*. Illam, circulatoriam nempe vanitatem quod attinet, non aeque hoc nomine intelligo craſſam illam, ab omni naturali pudore & honeſtate alienam, quam agyrtae & circumforanei, non ſine ſummo divinae artis dedecore, in foro publico exercent, ſed potius ſubtilem illam, quam ipſi quoque medici, qui ſecundum eminentiam *Rationales* vocari amant, ſuo in ſinu fovent eidemque boni privati cauſa tacite patrocinantur. Neq; vero hi, quod *charletaneriae* inſimulantur, de injuria ſibi illata juſtam conquerendi cauſſam habent; Quia hujus ſuae fortunae ipſimet fabri ſunt atque architecti. Dum enim hyperbolicis laudationibus remedia quaedam, alias

alias ſua forte laude non defraudanda, proſeqvuntur, eaque inſuper variis ſpecioſis titulis *tincturarum ſalutis, pulverum vitalium, balſamorum vitae, panacearum, remediorum herculeorum, polychreſtorum &c.* inſigniunt, quae tamen vel ſperato effectu plerumq; excidunt, vel ſubinde alienum ac non raro exitialem poſt ſe relinqvunt: Proni iterum ſunt homines ad judicandum, ad pompam tantum vel captandum vulgi applauſum talia excogitata, vel, quod pejus, crumenis potius hominum emungendis, quam ſanitati illorum reſtituendae eſſe aptiora. Longe vero turpius vitium eſt *Machiavelliſmus*, qui prohdolor in artem optimam, a qua tamen fraudulentas tales deceptiones omnium alieniſſimas eſſe oportebat, infelici fato irrepſit. Id equidem non dixerim, tanto vero minus probandum in me ſuſceperim, omnes dolo malo peccare, qui *artes Machiavelliſticas* exercent; Id enim ab omni honeſtate, fide ac probitate foret quam remotiſſimum: Quosdam tamen illorum reperiri, qui morbos dedita quaſi opera pervertant atque corrumpant, ut perpetuos habeant mercenarios, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Exemplo nobis eſſe poteſt *cortex*

Peruvianus, de cujus damnoſis effectibus, quos in curatione febrium poſt ſe relinquit, licet plerosque Practicorum hodie ſatis convictos eſſe, probe ſciamus; Tantum tamen abeſt, ut uſui ejus renuncietur, ut potius ſeſquipedalibus verbis hyperbolicae ejus laudes a permultis in hunc usque diem decantentur, dum a nonnullis remedium vere *polychreſtum*, ab aliis *herculeum*, ab aliis plane *divinum* ac febrium omnium intermittentium *ſpecificum* ac ſpeciatim quartanarum *antidoton* vocari ſolet. An vero ſpecioſa tali commendatione & encomiis, quibus mactatur, vere dignum exoticum hoc remedium, non indignum eſſe judicavimus, quod *ſpecimine Inaugurali*, id quod honores Doctorales mihi rite ambienti edendum eſt, uberius diſcuteretur, cum, qui civium ſervandorum curam in ſe ſuſcipit, de publico non male mereri, ſit cenſendus. Quem in finem devotis DEUM precibus ſollicitamus, ut ſuam nobis gratiam ex alto largiatur, nosq; vitatis ſedulo omnibus aviis ac deviis, in regiam veritatis viam ipſemet deducat!

§. I.

§. I.

De *impoſtura corticis Peruviani* verba facturi, ſolemniter ſtatim proteſtamur, nos odioſo titulo, quem diſſertationi noſtrae praefiximus, nemini injuriam eſſe illaturos. Novimus, quam hyperbolicis encomiis a permultis magni nominis medicis *famoſus cortex* fuerit exornatus; In debellandis ſcil. omnis generis febribus reliquis cunctis *antifebrilibus* palmam praeripere; Eſſe remedium vere *herculeum*, omnium *intermittentium ſpecificum* ac ſpeciatim *quartanarum antidotum &c.* Quae omnia, ſi quis bona fide credat, ſic ſeſe habere, hancque ejus credulitatem inſuper ſuffulciat praejudicium auctoritatis, talem, tanquam ab omni fraudulenta deceptione alienum, abſolvere nulli dubitamus. Nec facile, ut credamus, induci nos patiemur, reperiri homines, qui dolo malo variiſque doloſis technis aliis impoſituri ſint commendatione remedii, quod, ut in ſequentibus probatum dabitur, multa hominum millia inſuperabili clade adfecit. Ne tamen praeſumpta ingenuitatis ſpe nobis ipſis imponi patiamur, non poſſumus ſane in totum excuſare omnes ac ſingulos, qui, non obſtantibus pravis effectibns & eventibus, quos magno numero, niſi dedita opera coecutire velint, in praxi clinica obſervare poſſunt, nihiloſecius in remedii pernicioſi uſu pergere, quam errorem agnoſcere malunt. Mihi autem pari ſemper reatu digni viſi ſunt, tam qui craſſo & ruſtico modo clava lignea patientes trucidant, quam qui fallaci remedio ſenſim ac lento quodam gradu ad tumulum eosdem dedu-

deducunt. Sicuti ergo facillimum eſt, in hoc *impoſturae* genus incidere & aegrotantem & medicum, ſi, poſt exhibitam unam vel alteram doſin *corticis* paroxymum febrilem conticuiſſe, nec ſtatim tamen monſtri quippiam ſecutum eſſe, uterque obſervet: Ita pari facilitate uterque eludere illud poſſet, ſi, paroxyſmum quidem ſuppreſſum, priſtinum tamen patientis vigorem cum plerarumq; functionum vitalium alacritate non reverſum eſſe, uterque agnoſceret debitaque animi attentione perpenderet.

§. II.

Interim cum medicus verſetur circa rem pretioſiſſimam, vitae ſcil. ac ſanitatis conſervationem amiſſaeq; reſtitutionem, omnis ei opera impendenda eſt, ne vel famae & exiſtimationi vel conſcientiae ſuae indelebilem maculam inurat: Ubi cynoſurae inſtar hanc ſemper regulam ſibi commendatam habere debet, ne medicamenta inſecura tutioribus minusq; cognita notioribus praeferat. Quam ſi ſollicite ubiq; obſervet, ab hoc *impoſturae* genere, de quo hic agere ſuſcepimus, facile tutum ſeſepraeſtabit.

§. III.

Miſſis vero hac vice iis, quae de Patria variisq; quibus *cortex Peruvianus* diverſis temporibus expoſitus fuit, ſatis alii recenſere ſolent, his, inquam, quae transſcribere huc non placet, miſſis, in eo tantum noſter occupabitur labor, ut diſquiramus, an, quae hactenus a permultis vindicata ipſi fuit, virtutem *ſpecificam antifebrilem, qua cujusvis generis febres, inprimis vero intermittentes, non quidem ſupprimantur & ad tempus*

ſuſpen-

ſuſpendantur vel quocunque fuco pallientur, ſed radicitus ac fundamentaliter tollantur, ita ut iisdem percuratis nulla prava conſectaria relinquantur, ſed plena potius euphoria in illis obſervetur, vere mereatur, & an proinde tacitae cujusdam invidiae jure inſimulentur *Indi,* quod ſummo olim ſtudio caviſſe dicuntur, ne exoticum ſimplex ſuis unquam regionibus efferretur? An vero, quod nobis probabilius eſſe videtur, cauſſam potius ſibi gratulandi haberent *Europaei*, ſi damno ſuo id nunquam ipſis innotuiſſet, ſed aeterna potius oblivione ſepultum manſiſſet, aut ſaltem providos magis in uſus ab ipſis converſum fuiſſet? Nos, ratione pariter atque experientia ſubnixi pro poſteriore militare ſententia tanto minus dubitamus, quanto certius convicti ſumus, *corticem Peruvianum* eſſe *medicinam doloſam* atque *fallacem*, quae *mel in ore, fel in corde* habet, i. e. quae veloci quidem paroxyſmorum febrilium ſuppreſſione aegrotantibus aeque ac medicis abblandiatur & fucum faciat, ſed damnoſos ſanitatiq; ac vitae ſumme infenſos in corpore fructus atque effectus relinquat, qui ſerius ocyus erumpentes & patientem graviſſima ſaepiusque irreparabili clade adficiunt, & medicos ipſos, qui talia ne ominati quidem fuerant, pudore ſuffundunt.

§. IV.

Aſt quid ego molior? Itane univerſali fere plerorumq; Practicorum experientiae impune contradicere licet? Anne novellae publicae quotidie ferme certiores nos reddunt, quanta in *Gallia, Italia* ac potiſſimum *Magna Britannia & Belgio* miracula & olim fecerit & hodieq;

faciat

faciat *cortex Jeſuiticus?* Itane ab omni fide aliena ſunt, quae a popularibus noſtris, *Germanis*, quorum alias dexteritas, candor, fides, ingenuitas aliaeque cum his complicatae virtutes ſatis perſpectae ſunt, nobis enarrantur de numeroſis febricitantibus, ſolo ejus uſu reſtitutis? An credibile eſt, vel *doloſe* vel *aurae popularis captandae* gratia *polychreſti, divini, herculei* remedii nomen ei tributum eſſe? Imo vero illae ipſae novellarum narrationes nos in ea ſententia confirmant. Fateor, ſaepius relatum me legiſſe, febricitantes quosdam, ſtatim ac *chinachinae*, ad quam, tanquam ad ſacram quandam anchoram confugiunt illarum regionum medici, uſi fuerant, febrim emanſiſſe, ſed non minus recordor, eosdem illos, exacto paucarum ſeptimanarum ſpatio in eandem denuo incidiſſe: Cumque ad eam perdomandam ad idem remedium eodemq;, quo prius, ritu recurrerint artifices, quid mirum, quod *recidivam* paſſi fuerint, donec, naturae activitate ſuppreſſa, ſchema mutaverit morbus, ſenſimque in *lentam* vel *hecticam* tranſierit febrim. Neq; vero altiſoni tituli, quibus medicamentum exornatur, ut aliter ſentiamus, vel quicquam movere nos poſſunt, qui quippe, partim praeter omne meritum ipſi tribuuntur, partim litterali ſenſui vim faciunt, partim deniq; omnem facti veritatem evertunt. *Polychreſtum* certe dici nequit, quia vix uni aegritudinum ſpeciei, nempe febribus, nedum pluribus, tuto atque ſecure curandis ſufficit. *Divinitatis* nullibi ulla leguntur veſtigia, quia, quod in perniciem generis humani cedit, malo potius ſpiritui, ſi qua ejusdem hic efficacia eſſet, in acceptis referen-

referendum foret. Nec *herculeum* dicendum eſt, quod, hoſte non omnino devicto, inducias tantum concedit eidem, ut vires novas ſumendo tanto furioſius deinde adoriatur.

§. V.

Aſt mittamus *tropos*, & agamus ſerio! *Sydenhamius*, anglorum *Aeſculapius*, tantam in *cortice Peruviano* collocavit fiduciam, ut *intermittentium omnium*, praecipue *quartanarum* dixerit *ſpecificum*, quo ſine ſuo potiri ſemper liceat Medico, *omni* licet *regimine* atque *diaeta ſusque deque habita*, & *ſola tantum methodo*, *pulveri exhibendo debita*, *obſervata*. Magna profecto atque portentoſa promiſſa, quae, ſi eventus illis reſponderet, digna utique forent, quae templo *Apollinis* in aeternam rei memoriam aureis litteris inſcriberentur! His non multum diſſimilia, ſed longe portentoſiora ſunt, quae de *antifebrili* ſuo *ſpecifico* gloriatur *Kergerus*, qui nempe Lectori ſuo perſvadere conatur, ſe per 14. annorum decurſum ultra MILLE (niſi figura Rethorica, quod ſuſpicor, ſubſit) mille, inquam, febricitantes ſine *venaeſectione*, ſine *purgatione*, ſine *ſudoriferis*, ſine *diureticis*, ſine *alterantibus*, ſine *corroborantibus*, ſine *topicis* & ſi quid praeterea, unico fere medicamento (an *chinachinae* fuerit, callide reticetur) reſtituiſſe fertur, non curando, an febris ſit *intermittens*, an *continua*, an *quotidiana*, an *tertiana*, nec expectata *COCTIONE*, nec habito reſpectu *ſexus*, ne puerperis quidem exceptis, *aetatis*, *anni temporis* vel aliarum circumſtantiarum, & quidem paucorum dierum ſpatio, ſine *recidiva* aut alio aliquo *notabili in-*

B *commo-*

commodo, niſi ubi aeger ipſe per incontinentiam de novo paroxyſmos provocaverit &c. Eheu! Quantum artificium! Ubi vix temperare nobis poſſumus, quin vernacula noſtra exclamemus! Ewig Schade, daß eine ſo vortreffliche Kunſt mit ſeinem Meiſter hat müſſen zu Grabe gehen! Quare quaeſo haeredes poſt fata tanti artificis non omnes excuſſerunt loculos, ut arcanum incomparabile in ſchedula forte conſignatum detegerent poſteritatique commendarent? Cur tanta ſocordia tineis ac vermibus conſumendam reliquere chartam usque adeo pretioſam nulloq; auro redimendam?

§. VI.

Fucus ſcil. eſt, quo credulis *imponi* ſolet ab iis, qui *Machiavelliſmo medico* patrocinantur. Proinde diſerte enunciamus: *Corticem Peruvianum* nulli *febrium*, ſive *intermittentes* fuerint, ſive *continuae*, competere, imo potius earundem indoli contrarium eſſe. Quod ita probo: *Febris in genere aeſtimata nihil aliud eſt*, quam conatus naturae, quo materiam febrilem, quantitate vel qualitate peccantem, in aegri ſalutem, ex corpore eliminare adnititur, idque vel ſub forma inſenſibilis tranſpirationis vel ſudorum manifeſtorum, vel craſſiori modo per vomitum, diarrhoeam, diureſin, eruptionem exanthematum, variisque aliis modis pro colatoriorum varietate, quorum ope excretiones tales ſuſcipiuntur. Si ergo, quod *Sydenhamius* ipſe non diffitetur, febris eſt tale naturae inſtrumentum, quo purum ab impuro per quendam *fermentationis* ſeu *deſpumationis* modum, ſeu, ut veteres loqui amabant, materiae

materiae febrilis *coctionem* ſecernitur: Non ſane adparet, quo modo de *cortice Peruviano* praedicari queat, illo vel unicam ſaltem febrim ſolide, i. e. fundamentaliter aut radicaliter, & quidem, quod maxime παράδοξον, *citra ullam ſenſibilem evacuationem*, curari poſſe. Imo quidam illorum *quinquinae* admiratorum ulterius progreſſi, catarticorum ipſiusque venaeſectionis uſum ideo diſſvadent, quod, utraque evacuatione ipſam corporis oeconomiam labefactari ſicque vim *pulveris febrifugi* infringi vel penitus evaneſcere atque perire credunt: Cum longe probabilius ſit, eo nocentiorem eſſe ejusdem effectum, quo magis evacuantia illa tam univerſalia quam particularia neglecta vel ſusque deque habita fuerint.

§. VII.

Progredimur a *genere* ad *ſpeciem.* Inter has autem febrium ſpecies nulla eſt, cui *cortex Peruvianus* plus fuci faciat, quam *tertiana*, eaque tam *ſimplex* quam *duplicata* ac *triplicata*, in quibus tamen omnibus, quantacunque etiam pertinacia ſeſe gerant, cicurandis ac perdomandis ſummum ac ferme divinum adferre ſublevamen, bona fide creditur ab iis, qui *ſpecificam* eidem efficaciam adſcribunt. At vero, cum quotidianae obſervationis ſit, nullam talium febrium ſalutariter terminari, niſi ſenſibilis quaedam excretio ſive per *vomitum*, ſive per *diarrhoeam*, ſive per *diureſin* ſive per *diaphoreſin* aut quamvis aliam, febris hujus genio proportionatam evacuationem contigerit; Pronum eſt, inde colligere: Quod, cum neutrum horum

 praeſtet

praeſtet praedictus *cortex*, imo, ſecundum Praeconum ſuorum ſententiam ne praeſtare quidem poſſit, nedum debeat, ſolidum inde auxilium non ſit expectandum. Praeterea vero ex propria confeſſione convinci facile poſſunt, quod ne ipſi quidem ſolidum quoddam ſubſidium in exotico hoc antifebrili qnaerant; Cum liberaliter concedant, aliis etiam antifebrilibus, v. g. arcano duplicato, ſalibus abſinthii, cardui benedicti & centaurii minoris, tartaro vitriolato aliisque talibus, febres tertianas percurari poſſe: Proinde ſana ratio dictitat, illud utique remedium, quod altero ſecurius & ſolidius, i. e. fundamentaliter magis ac radicaliter febrim extirpat, alteri, quod eandem tantum ſupprimit, vel paroxyſmum unum aut alterum ad tempus ſuſpendit, anteponendum eſſe. Quam effectuum diverſitatem exinde ſatis agnoſcere licet, quod poſt febres tales, uſu *chinae de china* ſuppreſſas nulla *plenaria euphoria* patientium ſubſequatur, qualem tamen in iis conſpicimus, qui per legitimam materiae febrilis praeparationem, abſterſionem & ſubſecutam deinde evacuationem reſtituti fuere.

§. VIII.

Evidentior eſt *impoſtura corticis Peruviani* in curatione *febrium quartanarum*, quarum fomes non primas tantum vias, ut in *tertianis*, occupavit, ſed plane per *viſcera hypochondriaca*, *hepar* inprimis & *lienem* eſt diffuſus; Quae, uti rarisſime per ſe oriuntur: Ita longe frequentius aliis adfectibus, inprimis *febribus tertianis intempeſtive ſuppresſis* ſuccedunt. Undecunque

vero

vero ortae fuerint, certum tamen eſt, per continuatum *chinae chinae* uſum hypochondria inſolentius conſtringi infarctuſque in viſceribus ibidem ſitis reddi pertinaciores: Unde non debent non adfectus *oedematoſo-hydropici*, vel, pro ſubjectorum indole ac diverſitate, *ſcirrhoſi* ac *hectico-tabidi* ſequi; Quorum omnium pertinax ac refractarius genius neminem Practicorum latere poteſt. Neq; vero, ad id confirmandum, alienis opus eſt teſtimoniis, cum ipſi *corticis Peruviani* propugnatores, ex quibus ſolum *Sydenhamium* allegaſſe ſufficiat, ſponte fateantur, *quartanis* eundem *non conducere, cum illam non tam debellet, quam inducias tantum concedat; Quod ſi vero deinde recrudeſcat, haud ſane ſegnius, quam prius, patientem laceſſere*, idem largiatur. Quid autem inde jam lucratus eſt aeger? An forte interea temporis vires ejus denuo collectae, ut novum febris inſultum tanto facilius ſuſtinere queat? Vel, annon jure potius metuendum, ne infarctus viſcerum reddantur pertinaciores, eoque ipſo malum inſuperabilius? Sic utique videtur; Atque adeo concludimus, per meras *impoſturas* agere corticem, quicquid agit.

§. IX.

Quod ſi autem *intermittentes ſimplices*, tam *tertianae* quam *quartanae*, intempeſtivum *remedii inſidioſi* uſum non tantum non ferant, ſed potius graviter inde offendantur ſuoque in decurſu turbentur: Quanto certius hoc metuendum eſt in *duplicatis* ac *triplicatis*, quarum paroxyſmi ultra ſolitum morem & ordinem ideo repetuntur, quod materia, propter quam ſuſcipiuntur,

 propio-

propiorem corpori noxam comminatur, vel viſceribus ſubinde jam actu intulit; Cum ſua natura non modo durabiliores, ſed & in *chronicos* alios *ſcirrhoſos* & *hecticos* affectus ſint proniores.

§. X.

Atque pravi ejusmodi effectus eo praeſentius ſuccedunt, quo magis *intermittentes* tales ad indolem *continuarum* inclinaverint: Unde temeritatem illorum Practicorum non ſatis mirari poſſumus, qui multo latius vim *febrifugi Peruviani* patere putant, atque adeo ad ipſas plane *continuas* extendere illam nulli verentur, quorum tamen cautiores non ad omnes promiſcue, ſed ad *continuas* tantum *periodicas*, ex *continua* & *intermittente compoſitas* eandem reſtringunt. Quicquid vero ſit, *neutram* harum *corticis* uſum ferre poſſe, cenſerem; Non *illas:* Quia, cum in febribus iſtis ſubigendis & ſuperandis duplicem *Natura* intentionem habeat, *alteram*, qua materiam febrilem per humorum maſſam oberrantem per habitum cutis poroſum ſubtilis evaporationis forma, *alteram* vero, qua eandem ex primis viis craſſiori ac ſenſibiliori modo evacuare conatur, tales vero excretiones per uſum *chinae* non modo efficaciter impediantur, ſed & noxiae materiae in corpore retineantur, fieri haud raro ſolet, ut, quae antea *benignam* prae ſe ferebant *indolem*, nunc *malignam* induant. Nec *has*, nempe *eontinuas*, uſum *corticis* ferre putaverim, quomodocunque reſtringatur: Quia hujus generis febres raro aliter, quam per *diaphoreſin*, vel *diureſin* vel ſubinde etiam per *haemorrhagias narium* ſolvun-

ſolvuntur; Quas excretiones cunctas *cortex chinae* potius confundit, quam promovet.

§. XI.

Ad alias febrium ſpecies vim *Peruviani remedii* extendere vix audent, qui acriter alias partes ejus tuentur. At vero reperiuntur, quos non pudet, in *paſſione hypochondriaca* virorum & *hyſterica* mulierum plane miraculoſam eidem efficaciam adſcribere; Quos nihil aliud fefelliſſe videtur, quam perverſus theoreticus, quem de natura horum pathematum ſibi formarunt, conceptus. Cum autem in utroque hoc malo ſpaſmis omnia gerantur, illique ad reſolvendum ſangvinem ſpiſſum, verſus viſcera hypochondriaca copioſius congeſtum reſpectent, atque adeo in maſculino ſexu cum *haemorrhoidali*, in foeminino vero cum *menſtruali negotio* manifeſtum nexum alant: Non ſane adparet, quomodo *cortex chinae* vel in infarctibus, circa V. P. ejuſque ramificationes natis diſſolvendis, vel ſpiſſo minuſque mobili ſangvine ſuo in progreſſu promovendo, vel ſpaſticis viſcerum ſtricturis commoderandis quicquam memoratu dignum, nedum miracula praeſtare poſſit, cum, quicquid operatur, adſtringendo operetur, eoque intuitu plus noceat, quam proſit, niſi forte dicere placeat, tonum fibrarum vaſorumque ſangvineorum, quae diuturna ſangvinis ſtaſi admodum dilatata atque hinc ſuo in tono debilitata fuere, paulisper reſtitui; Quem tamen effectum ex martialibus, poſt ſtaſeos diſcusſionem prudenter adhibitis, longe ſecurius ac promptius, quam ex *cortice chinae* praeſtolari nobis poſſumus.

§. XII.

§. XII.

Ex quibus omnibus, quam infide quamque inſidioſe in curandis febribus aliisque adfectibus ſeſe gerat *cortex Peruvianus*, liquido adparet. Neque vero hujus generis fallaciae indagatu ſunt usque adeo difficiles, cum patiens, quid ſuo in corpore factum fuerit, prompte ſatis vel ſaltem ex intervallo non valde longo perſentiſcere poſſit; Prudentem vero medicum non deceat, temporariae ac tranſitoriae mutationi, quam poſt exhibitam *chinamchinae* obſervavit, plenam ſtatim fidem adhibere. Sed longe manifeſtius ſeſe prodet *impoſtura*, ſi ad pravos effectus, quos utplurimum poſt ſe relinquit, attento animo reſpicere placeat.

§. XIII.

Inter illos primo loco commemoramus, quod ne ipſis quidem *Peruviani antifebrilis* Patronis diffitentibus, *recidivas* pariat. Quae vero cauſſa eſt, quod *febres intermittentes, tertianae* pariter ac *quartanae* praedicto remedio intempeſtive ac praemature ſuppreſſae revertantur? Nulla certe alia, quam quod materia febrilis nec ſufficienter praeparata nec poſt factam ejusdem digeſtionem, debite corpore ejecta fuerit: Unde Natura, a nemine licet edocta, fructuoſius corpori ſuo conſultura, erroremque ab artifice commiſſum correctura febrim revocat, eoque ipſo damnum, oeconomiae vitali imminens praeoccupare, vel, ſi poſſibile, avertere ſtudet: Ad quam ſpontaneam paroxyſmorum febrilium revocationem ſi ſollicite attenderet talis artifex, fieri vix poſſe crediderim, ut

ejusdem

ejusdem propoſiti nihilominus tenax, ad idem denuo ſubſidium confugere queat; Niſi dedita opera Naturam enervare ſuisque armis ſpoliare praeſumat, quibus alioquin, ſi, ſibi relicta, nec aliunde turbata, rite uſa fuiſſet, corpus ab imminente vel ſaltem in futurum metuendo damno & labe praeſervare ac defendere efficaciter utique potuiſſet.

§. XIV.

Quod ſi quis autem, ſalubribus hiſce Naturae monitis ſusque deque habitis, *mendaci* ac *doloſo remedio* ſemel atque iterum *imponi* ſibi paſſus eſt, is deinde, rebus aegrotantium talium in deterius vergentibus, non modo nullam facti ſui ſolidam excuſationem proferre poteſt, ſed &, quicquid funeſti effectus in illos redundavit, ſibi ſoli imputare debet. Seqvuntur autem poſt febres tales, nulla praevia *corporis therapevtica praeparatione* ſuppreſſas, haud raro *oedemata pedum* admodum refractaria ac vix ulla deinceps arte ſuperabilia: Quae licet prudentiores omnes pro *productis artis*, qualia revera ſunt, agnoſcant, ipſis tamen patientibus, quo omnem a ſe culpam eo tutius amoliantur, artifices tales, auctoritatis praejudicio occoecati vel errorem commiſſum quocunque velo palliare conantes perſvadere non verentur: Die Kranckheit (das Fieber) ziehe ſich zu denen Füſſen hinaus: Cum horum ſimile quippiam in iis, qui *methodo naturae aemula*, i. e. per materiae febrilis debitam correctionem & ſubjunctam deinde evacuationem reſtituti fuerunt, nunquam obſervare liceat.

§. XV.

Haec *pedum oedemata*, quae febres in primo ſui ortu, non praemiſſis praemittendis, per *chinamchinae* ſuppreſſae inque prima quaſi herba ſuffocatae, pedisſequa habent, utplurimum pomoeria ſua latius extendunt, atque, praeter univerſalem corporis *habitum cachecticum* & *leucophlegmaticum*, quem comitem habent, in ſtatum *anaſarcoden* vel *aſciticum* miſeros tales patientes praecipitant, ex quo ſalvos & incolumes emergere illos poſſe, tanto minor ſpes adfulget, quo minus de *febri artificialiter reſtituenda*, ceu ſolo ac ſolido pravorum vel funeſtorum conſectariorum evitandorum ſubſidio conſilia ab iis agitantur, quorum intellectus praejudicatarum opinionum nebulis eſt obfuſcatus.

§. XVI.

Uti vero, qui *ſeroſioris phlegmaticae* vel *ſangvineae* conſtitutionis ſunt, hujus generis mala *oedematoſa*, *cachectica*, *leucophlegmatica*, *anaſarcodea* vel *aſcitica* facilius prae aliis incurrunt: Ita in *lentas* vel *hecticas* magis incidunt, qui ſtrictiore corporis habitu gaudent, & vel *cholerici* vel *melancholici* vel ex utrisque mixti temperamenti praedominium obtinuêre. Vis enim *corticis Peruviani* adſtrictoria non per *ventriculum* tantum & *inteſtina*, ſed & latiore ambitu per *viſcera hypochondriaca* ſeſe diffundit, & in illis pertinaces primum *infarctus* & *oppletiones*, deinde *indurationes* & *ſcirrhos* gignit, quorum deinde veſtigia *lentae* ac *hecticae febres* legunt.

§. XVII.

Illud quoque animadverſione non eſt indignum, quod ipſe *Sydenhamius*, qui tamen non uno ſcriptorum ſuorum

ſuorum loco *virtutes corticis antifebriles* laudibus haud vulgaribus extulit, inter prava, quae uſus ejus ſubinde relinquit, conſectaria, quandam *rhevmatiſmi ſcorbutici ſpeciem* retulerit; Id quod, qua ratione in corpore humano vivo fieri poſſit, a *priore* aeſtimare haud difficile fuerit.

§. XVIII.

Alii non citra rationem conqueruntur, *corticem chinae* in permultis *inappetentiam*, in aliis intolerabilem *ventriculi gravitatem* cum *cardialgicis anxietatibus* poſt ſe traxiſſe; Nec mirum: Sive enim ingratum medicamenti ſaporem, ſive molem pulverum devorandorum, ſive diuturnitatem temporis, quo uſus ejusdem continuandus, conſideraverimus, omnibns his reſpectibus facillimum eſt intelligere, *nauſeam*, *inappetentiam* & *ventriculi gravitatem* cum *dolore plus minus gravi* aliaque incommoda oriri inde debere. Alii *febrium tertianarum* intempeſtivam per *chinamchinae* ſuppreſſionem ſecutum fuiſſe *bulimum* animadverterunt.

§. XIX.

Auget ſuſpicionem noſtram, quam de infidis remedii hujus effectibus fovemus, illa quoque animadverſio; Quod ſubjectis *cachecticis*, *leucophlegmaticis*, *hypochondriacis*, *hyſtericis &c.* haud raro poſt exhibitum *corticem* inſequentes paroxyſmi febriles exacerbati & aucti fuerint obſervati; Id quod inde dependet, quod natura vi *ſenſus vitalis*, quo gaudet, incitata violentius inſurgat contra incongruum medicamen, cujus efficaciam noxiam vi quaſi expugnare denuo conatur. Quorſum eximie facit obſervatio ab *Hoffmanno*

allegata de moniali quadam, quam ab intempeſtivo *corticis Peruviani* uſu in epilepſiam vidit.

§. XX.

Taceo, in quibusdam *intermittentium typum* plane mutatum ac peſſimo omine in *acutum* & *continuum* verſum fuiſſe: Quo caſu omnis impetus in viſcera parteſque interiores directus, *lentas* & *hecticas* haud raro pediſſequas habuit.

§. XXI.

Haec vero omnia, quae de pravis *corticis Peruviani* effectibus hucusque recenſita ſunt, innumeris aliorum Practicorum obſervationibus confirmari facile poſſent, niſi verendum mihi eſſet, ne in campum ſpatioſiorem, quam arcti *Diſſertationis* limites permittunt, evagarer. Non poſſum tamen, quin *Friderici Dekeri, Medicinae Practicae quondam Profeſſoris Lugduno-Batavi* obſervata, quae *Praxis clinica* ipſi ſubminiſtravit, huc transferam: Ingenue is fatetur, ſe poſt uſum hujus remedii in *quartanis* tam *ſimplicibus* quam *duplicibus* atque *triplicibus* non unum eundemq; effectum in omnibus, ſed in nonnullis *nauſeam*, in quibusdam *vomitum*, in aliis *ingentem ſudorem*, in aliis *purgationem per alvum*, in aliis vero *nullam notabilem mutationem* obſervaſſe; Additque, a febre jam liberatos quosdam de *ventriculi tumore*, *praecordiorum anxietate*, *totius corporis gravitate*, nonnullos vero de *reſpiratione difficiliore*, hos de *appetitu nimio*, illos de *abolito* vel *imminuto* conqueſtos; Alios nil JAM mali ſenſiſſe; Plurimos poſt quatuor vel quinque ſeptimanas *recidivam*, & quidem *graviorem* paſſos, imo *ſimplici*, jam *duplici* vel *triplici* adflictos

flictos, vel qui *duplici* ac *triplici*, poſtea *ſimplici* fuiſſe correptos; Qui vero poſt aſſumptum corticem *diarrhoeam quaſi* paſſi fuiſſent, & in quorum faecibus particulas *corticis*, materia quadam viſcoſa & tenaci pellucida obductas conſpexit, hos omnes non modo a febre immunes vixiſſe, ſed nec ullo praedictorum ſymptomatum vel incommodorum adfectos eſſe obſervavit. Quare ab eo tempore *corticem Kinkinae* nunquam ſolum, ſed purgantibus permixtum proſpero cum ſucceſſu exhibuit.

§. XXII.

Cum itaque ex hactenus deductis abunde pateat, uſu *Quinquinae* febres partim ſuo in ſucceſſu turbari, partim alium in typum converti, partim vero ſimpliciter tantum cohiberi ac ſupprimi; Conſequitur inde: *Curationes febrium*, hoc remedio inſtitutas, eſſe tandem *palliativas*. Et utinam mere *palliativae* eſſent! Sic enim amaras numeroſorum febricitantium, peſſime inde mulctatorum quiritationes non exaudiremus; Quorum alii in viſcerum *infarctus*, *oppletiones*, *ſtagnationes* & *ſtaſes* indeque inductas *indurationes* & *ſcirrhos*, alii in *oedemata*, *anaſarcam* & *aſciten*, alii in *lentas* & *hecticas* innumeraque alia mala inciderunt. Suntq; hae *impoſturae* omnes ita craſſae atque ſenſuales, ut ab omnibus ac ſingulis citra operoſam inveſtigationem deprehendi facile poſſint.

§. XXIII.

Neque vero jure ullo imputari nobis poteſt, quod eo ipſo, dum pravos hoſce, quos hucusq; longa ſerie enumeravimus, effectus *cortici chinae* ejusdemq; *efficaciae*

efficaciae adſtrictoriae vindicamus, *fallaciam cauſae ut cauſae* committamus: Quamvis enim inficias ire neq; poſſimus neque velimus, ejusmodi *fallaciis* noſtra in arte nihil eſſe frequentius: Nullus tamen praeſenti in caſu illis locus eſſe poteſt; Quia plerumq; hoc vegetabile ſimplex & ſine aliorum additamentis exhiberi ſolet; Imo, ſecundum Patronorum ſuorum praecepta ac regulas ita exhiberi debet: Eo quod ab omni ſeſquipedali compoſitione non tantum magis, quam ullum aliud remedium, abhorreret, ſed & dedita opera aliis antifebrilibus remediis permixtum, illam ſuam ſpecificam efficaciam amplius non exerceret. Sicuti igitur laus, ſi quam mereretur, quaeque ex proſpero remedii ſucceſſu ſolummodo expectanda, maneret *corticem:* Ita omnia incommoda atque damna, quae peperit, citra *fallaciae* talis metum, ei ſoli in acceptis referenda ſunt.

§. XXIV.

Reliquae circumſtantiae & quaſi cautelae, ſub quibus *corticis Jeſuitici* uſum fautores ejus commendare ſolent, ita comparatae ſunt, ut ſuſpicionem noſtram de ejusdem *impoſtura* magis magisq; confirment. Negant primum, alia, quam pulveris forma, propinandum eſſe hoc antifebrile, paucis forte exceptis, quibus, addita conſerva roſarum rubrarum antiqua, electuarii forma non omnino diſplicet. Addunt deinde, majori ſaepiusque repetita in doſi exhibendum eſſe, ſi quid effatu dignum praeſtare debeat. *Jacobus Sponius* auctor eſt ſuaſorque, ut, ſi cum pertinaciori febri res eſſet medico, ad integram unciam imo amplius remedii

medii doſin augeret: Idem tamen ſimul, qui Viri candor eſt, faſſus, ſe, omnibus licet cautionibus rite adhibitis, *recidivam* tamen impedire non potuiſſe: Unde iterata tandem experientia non melius modo ſeſe edoceri, ſed & hanc ingenuo Viro vere dignam confeſſionem ſibi extorqueri paſſus eſt: *Inutile imo noxium eſſe, febris curſum inhibere, quamdiu in corpore* humorum colluvies *ſuperſtes ſit, novam febrim excitare valens, eo graviorem, quod cauſa morbifica augmentum ceperit aut alia ſymptomata febri longe deteriora.* Deniq; *ad pompam* magis compoſitum eſſe, vel ſaltem *ſubtilem* quandam *vanitatem circulatoriam* redolere videtur monitum, de negligenda omni in percurandis febribus *praevia corporis praeparatione*, de contemnendis *alterantibus*, *digerentibus*, *abſtergentibus*, *emeticis*, *catarticis*, & ſi quod eorum aliud ab aliis neceſſarium vel ſaltem utile ac proficuum judicatum ſit: Cum, ſi ad effectus, quos *pulvis chinae de china* tali in corpore poſt ſe relinquit, paulo attentiori animo reſpicere velint, negare non poſſint: I.) Damna inde reſultantia eo praeſentiora ac funeſtiora eſſe, quo impuriora fuere corpora, quibus *doloſum remedium* fuit oblatum. II) Eo certius paroxyſmum febrilem reverſurum graviusque patientes mulctaturum, quo magis in principio ſuppreſſus, &, ut loqui amamus, in prima quaſi herba ſuffocatus fuerit: Quia, quo impurius fuit corpus, in quod temere intruſus, eo quoq; pernicioſiora mala cauſſari in illo debuit.

§. XXV.

Quare, qui antea pro *cortice Peruviano* tanquam pro aris & focis decertaverant, ſuis nunc & aliorum malis

malis prudentiores ac circumſpectiores facti, hoc modo uſum ejus reſtringunt: In febribus ſcil. contumacioribus magisque rebellibus ad *quinquinam* prius accedendum non eſſe, quam cruditatibus ac impuritatibus mucidis vel quibuscunq; aliis a primis viis abſterſis ſublatisque viſcernm infarctibus, a quibus fuere enatae: Quo proinde in caſu neque *emetica* neq; *catartica*, praemiſſis nempe praemittendis, ipſis amplius diſplicent; Imo, quotienſcunque cum ſubjectis plethoricis illis res eſt, ne ab ipſa quidem venaeſectione tantopere abhorrent. Jure enim metuunt, ne, excrementis primarum viarum retentis, & paroxyſmo interea febrili conſopito vel ſuppreſſo, is deinde vel majori impetu reſurgat, vel febrim contumaciorem reddat, vel incommoda ac damna, febri longe periculoſiora poſt ſe relinquat. Jure, inquam, haec talia metuunt. Quare vero eadem circumſpectione prius uſi non ſunt, quam ſuſpectum & inſidioſum pulverem exhiberent? Cui ergo bono cautiones iſtae? Nec vomendum, nec purgandum, nec quicquam horum (quae ad evacuationem ſpectant) faciendum, ſed curam ſtatim a decantato antifebrili ordiendam eſſe. Sed ſero ſapiunt Phryges.

§. XXVI.

Interea, licet encomiaſtes tales convinci *a poſteriori* facile poſſint, quam injurium in praecipuos actus vitales, ſecretorios inprimis & excretorios ſit *ſpecificum* hoc *antifebrile*, ſpecioſis tamen ſubterfugiis non deſtituuntur, quibus malam cauſſam ſuffulciant. Concedunt quidem, qui laudes ejus concelebrant, intem-

peſtivo

peſtivo ejus uſu praeter metum *recidivae*, multa alia partim incommoda partim manifeſta damna in *oeconomia vitali* excitari: Verum haec omnia *abuſui*, non *provido ac legitimo uſui* vindicanda eſſe adſerunt; Errorem in eo tantum conſiſtere autumant, quod plerique *amethodice* utantur *cortice chinae*, nempe, aliorum antifebrilium more, una vel altera hora *ante paroxyſmum*; Id quod tamen fieri, non deceret: Cum venis eo tempore impuris humoribus turgentibus, impediri vix poſſet, quo minus *anguſtiis praecordialibus* & *pathematibus cardialgicis* vel *cardialgico-ſyncopticis* multisq; aliis praeter neceſſitatem ſolidamq; utilitatem exponerentur febricitantes. In eo namque ſingulare quippiam ſibi vindicare *ſpecificum* hoc *Peruvianum* opinantur, quod *diebus* potius *vacuis*, quam *verſus paroxyſmos*, aliorum *antifebrilium* ritu, exhiberi amet. Qua cautela rite obſervata, immunem ac liberum ab omnibus pravis conſectariis fore patientem, confidenter audent polliceri. Verum, praeterquam quod magnifica haec promiſſa experientiae ubique non reſpondeant, ſunt quoque talia adſtringentia motusque vitales, ad utilem ſcopum directos, directe ſiſtentia remedia *die vacuo* aeque nociva, ac *verſus paroxyſmos*: Quia natura eo tempore in materiae febrilis praeparatione eſt occupata, ut proximo paroxyſmo eo expeditius evacuari valeat: Quam dum ſuo in opere turbat, motusq; vitales, quae efficacia impuritatum ex corpore proſcribendarum inſtrumenta ſunt, cohibet, artifici laute iterum *imponat*, neceſſe eſt.

§. XXVII.

Nec ſatisfacit ratio, quam allegare ſolent, qui a tempore *apyrexiae* potius, quam *verſus paroxyſmos febrifugum Peruvianum* propinandum, ac deinde ſingulis 4. vel 6. horis doſin ejusdem repetendam eſſe ſvadent: Nimirum ut, priusquam ê *foco ſuo erumpens fermentum febrile*, ut loqui amant, *partibus nervoſis ſeſe ingerere queat*, *virulentia ejus obtundatur*,

datur, ipſique via ad fibrillas & nervos, quibus potiſſimum infenſum eſſe ſoleat, praecludatur. Verum, praeterquam quod hoc ratiocinium *falſae hypotheſi de fermentis* ſit ſuperſtructum, evidenter quoq; probat, nihil omni ſuo molimine hic aliud agere medicum decantato hoc ſuo *antifebrili,* quam ut *Naturae* ejusq; ſalutaribus conatibus, corpus quaſi luſtrandi & à ſuis impuritatibus liberandi, ſeſe opponat. Quam eandem difficultatem optime jam dudum perſpexit incomparabilis ſeculi noſtri medicus, STAHLIUS, dum inquit: Cortex Chinae *non* in praeſens *tantum, ſed* de futuro *gravia vel inducit, vel minatur incommoda, ea nempe ratione, ſi Naturae, aliquam ſaburram, per motus febriles ſe- & excretorios evacuare occupatae, inducta viſcerum colatoriorum ſtrictura, propoſiti ſui ſucceſſum irritum reddat.*

§. XXVIII.

Objiciunt alii: Crebra tamen experientia conſtare, permultos, contumacibus ac rebellibus febribus diu adflictos, qui nullis aliis remediis liberari inde potuere, uſu *corticis chinae* curatos & in integrum reſtitutos eſſe, & quidem, ut omnis *impoſturae* metus eo citius mittatur, ſine ullo febris recurſu. Ad quam objectionem regerimus: Nos non negare, numeroſos febricitantes, tales nempe, de quibus hic ſermo eſt, qui febribus diu jam conflictati, quique recepta inter Practicos methodo per alterantia pariter ac evacuantia tam univerſalia quam particularia hactenus tractati fuêre, uſu *antifebrilis* hujus *Peruviani* perfecte, i. e. non modo *citra recidivam,* ſed & *alia prava conſectaria* curatos eſſe: Sed credimus quoque, unumquemque hic facile nobis conceſſurum, materiam febrilem diuturnitate temporis maximam partem conſumptam eſſe, ſolos vero *motus febriles* inſolentius adhuc atque contumacius ſeſe gerere, in quibus commoderandis & in ordinem redigendis aliquid utique, quod operae valeat pretium, praeſtare poſſe *corticem chinae*, nemo fuerit, qui in dubium temere vocaverit; Unde tali caſu circa declinationem, materia

teria

teria febrili conſumta, ipſemet non tergiverſarer, in uſum eundem vocare. Speramus tamen, quemlibet iterum facile nobis largiturum, *corticem caſcarillae* non parem tantum, ſed longe tutiorem hoc intuitu effectum eſſe praeſtiturum. Unde praelaudatus STAHLIUS de omnibus *ſpecificis antifebrilibus* graviter pronunciare non dubitat: Irrita eſſe ac fruſtranea omnia, *niſi materiae correctioni ac debitae evacuationi* PRIMARIO *ſatisfaciant.* Unde infert: Cortice Jeſuitico *non ſolum opus non eſſe, ſed revera vix ipſi uſum eſſe, niſi quando* motus febrilis nudus ac ſolus, *conſumta jam dudum materia febrili, tandem cohibendus eſt.*

§. XXIX.

Sunt denique, qui, ut omnem a ſuſpecto & vere *Jeſuitico modo ac more* operante remedio culpam amoliantur, ejusque auctoritatem ſalvam atque incolumem ſervent, ex ipſis *principiis elementaribus*, quibus *corticem* conſtare arbitrantur, argumentum petere non verentur, ſua vero diſcordia, qua in diverſa omnes abeunt, malam ſtatim cauſſam produnt, dum alii manifeſtam *amaritiem*, cui *aromatici* quippiam & *balſamici* ſit permixtum, proindeq; vim diſſolventem, diſcutientem ac roborantem eidem adſcribunt, alii ex *ſale volatili, tenui & alcalino* agere illum exiſtimant, alii *principium ſulphureum anodyno-narcoticum*, alii *vim alexipharmacam* in eo quaerunt, & alii denique *tota ſua ſubſtantia* agere *corticem* autumant: Quae tamen variae ſibiq; mutuo valde diſſimiles explicandi rationes non aliam ob cauſſam excogitatae fuere, quam ut quilibet hypotheſi ſuae, quam de natura & origine febrium fovet, eo melius adaptare illas poſſet. Neque vero cum quocunq; vel rationis vel experientiae adplauſu dici poteſt: *Corticem Peruvianum* agere ex *principio amaro, ſalino fixo;* Quia alias inde ſequi videretur, omnia mixta, quae amaritiem iſtam longe ſenſibilius lingvae imprimunt, febres *indifferenter* profligare debere; Id quod tamen experientiae repugnat, etiamſi alias ſatis conſtet, amara *chronicis* & *intermittentibus*

febribus nec inimica nec adverſa eſſe. Multo minus dici poteſt, agere eundem ex *principio alcalino tenui volatili*; Quia tale nullo partim ſenſu ſeſe prodit, partim vero longe eminentiori in gradu aliis in vegetabilibus reperitur, quibus tamen virtutem antifebrilem nemo hucusque vindicavit. Qui vero *virtutem alexipharmacam* in eo quaerunt, fruſtra *corticem chinae* opponunt *intermittentibus*, in quibus ordinarie nulla eſt *malignitas*, & conſequenter nullo quoque *antidotali remedio* opus. Nec vero conſentaneum eſt, reperiri in illo *principium ſulphureum anodyno-narcoticum*; Cum nec admodum vaporoſus ſit cortex, nec, ſi quam maxime tale quid in eo lateret, febrium, quibus opponitur, indoli conveniret. Parum denique abeſt, quin illum agendi modum, quo *tota ſubſtantia* effectum ſuum antifebrilem exercere dicitur, ad *qualitates veterum occultas* referam. Et quid quaeſo omni iſto operoſo ſcrutinio opus? Cum praeter levem amarorem nil niſi *terreſtre*, *auſterum* & *fortiter adſtringens principium* ſenſus detegere poſſit; Id quod etiam ſufficit, ut fraudulentos pariter atque nocivos effectus, quos in curatione *intermittentium* gignit, explicare inde queamus. Quae ſola quoque ratio commoviſſe videtur Clariſs. *Helwigium*, cur *corticem fraxini* cum *Peruviano* ratione virtutum exaequaverit, *Europaeum* ſcil. cum *Ammericano*, *ſtypticum* ſeu *adſtringentem* cum alio aeque *ſtyptico* ac *adſtringente*: Quare etiam *corticem fraxini* pro *quinquina Europaea* habere nullus dubitat, certiſſime perſvaſus, eosdem in ſupprimendis febribus effectus inde eſſe expectandos, vel potius, ſi iisdem Practici veſtigiis ac methodo inhaeſerint, metuendos.

§. XXX.

Quae cum ita ſeſe habeant, nemo, opinor, fuerit, qui jure nobis indignetur, quod *corticem Jeſuiticum* (horreo nomen ominoſum) *doloſam* atq; *noxiam* medicinam vocaverimus; Cum, teſte multiplici experientia, nullam febrim *ſolide* ac *fundamentaliter* curet, ſed ſuſpendat tantum,

cohibe-

cohibeat & ad tempus ſupprimat, atq; adeo vel recidivam pariat vel morbos alios, febri longe deteriores ac funeſtiores poſt ſe relinquat, ſicque, quicquid agit, per meras *impoſturas* agat. Id Q. E. D.

§. XXXI.

Quamobrem omnes ingenuos atque cordatos Practicos, quibus aegrotantium ſuorum ſalus curae cordique eſt, ſerio hortamur atq; monemus, ut, quotiescunque ſua in praxi occaſionem nanciſcuntur, *inſidioſi remedii* vires atq; effectus magis magisque explorent omnemque operam navent, ut, detectis tandem fallaciis ac fraudibus ejusdem, a finibus artis quam longisſime abarceatur. Quod ſi refractarii quidam, ſive intra ſive extra pomoeria artis conſtituti fuerint, amicis perſuaſionibus aurem praebere recuſarent, illi ceu legum divinarum ac humanarum contemtores publici ſeverioribus poenis coërcendi forent. Illis vero, qui *gratuita Remedii diſpenſatione* opera charitatis & miſericordiae exercere adfectant, in aurem dicendum eſſet, ſe, etiamſi omnem quicquam inde lucrandi ſuſpicionem plene planeque a ſe fuerint amoliti, vix tamen meliori, imo potius eodem cum *Criſpino* cenſu ac loco habendos eſſe, quem quippe coria ſuffuratum eſſe dicunt, ut calceos inde pararet, atque inter egenos poſtea diſtribueret: Uti enim non ſunt facienda *mala*, ut inde eveniant *bona:* Sic nec facienda *bona*, ut inde eveniant *mala*. Sapienti ſat.

F I N I S.

Elyſien ſaß voller Wehmuth und ließ den Thränen freyen Lauff/
Und hub nach vielen Trauer-Klagen die Hände hoch gen Himmel auff/
Und ſprach: ſo ſoll mein ächter Ruhm in kurtzen gar zu Grunde gehen.
Da ihn das Alter und die Zeit/ vor längſten ſuchen zuerhöhen?
Ja ja ich ſehe ſchon das Ende: der Anbruch der Vergängligkeit/
Zeigt mir bey dieſem goldnen Leben den Anfang einer eiſern Zeit/

J727
G935d
10-11

Der alten Aertzte kleiner Reſt geht täglich mehr uñ mehr zu Grabe/
Da ich von neuen dieſer Zeit nichts tröſtliches zu hoffen habe.
Erfahrung giebt die beſten Lehren und jeder Kluger ſtimt mir bey/
Daß jetzt der wehrte Doctor-Tittel der Einfalt beſter Deckel ſey.
Weñ Stax nur anderthalbes Jahr auf einer Hohen Schul geweſen
So muß man aus Barmhertzigkeit das D. vor ſeinẽ Nahmen leſen.
Garlepo, der die meiſte Mühe bey Schraube-Gläſern zugebracht/
Wird endlich nach verfloßnen Zeiten zum gröſten Doctor ſelbſt gemacht/
Allein die Kunſt zeigt den Verſtand/ der Kirchhoff ihre Wunder-Gaben/
Die wir in allem Uberfluß bey vielen auff zu weiſen haben.
Drauff hörte man den Schall der Fama, den ſie aus der Trompete ſtieß
Da durch Sie Schleſiens Betrüben und vieles Reden hem̃en hieß.
Sie ſprach/nun ſtell dein Trauren ein/ dort dort an Viadrinens Gräntzen
Sucht ein von dir gebohrnes Kind Verluſt und Freude zu ergäntzẽ.
Herr *Gœlicke* der Freund der Muſen/der Krancken Æſculapius,
Den Franckfurt billig hoch verehren und ſeine Lehren preiſen mus/
Giebt heut Herr *Möllern* einen Hutt vor ſein Gelehrt und kluges Wiſſen/
Daran der Mißgunſt falſcher Zahn/ des Neides Thorheit ſcheitern müſſen,
Herr *Möllern*, der durch Fleiß und Mühe ſich einen Schatz zu wege bracht/
Aus dem ſo viele Kunſt und Weißheit mit rühmlicher Erfahrung lacht/
Daß man von ſeiner Redligkeit kan ſo viel Heyl und Wohlfahrt hoffen
Als täglich an *Thebeſi*en in Hirſchbergs Mauern eingetroffen.
Schweig/ ſprach Elyſien zur Fama, nun fält mein gantzer Kum̃er hin
Und ich ſeh/ daß ich durch die Nachricht ſchon wieder völlig bey mir bin.
Wohlan/ich warte mit Verdruß ihm meine Liebe bald zu ſchenckẽ/
Und vor ſein herrliches Verdinſt was angenehmes zuzulencken.

Chriſtian Gottlieb Liebich/ Goldb. Sil.
Philoſoph. Studios.

(o)